



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Epistola XV. Ad eundem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

lumina de quibus scribo, magnorum voluminum corporibus inserta sunt, ita ut disungi non possint, nec vobis mitti: consilium autem nostrum est, ut si eos alibi recuperare non potestis, & omnino vultis habere, nobis Scriptorem & membranas transmittatis, ut fiat voluntas vestra. Ego autem vester sum, & vester ero quamdiu fuero, in visceribus Iesu Christi. Valet, & orate pro me.

EPISTOLA XIV.

Ad Abbatem Elnonensem.

Excusat se ex incommoditate itineris & hyemis, quod tam cito ad eum venire non possit.

Dilecto in Christo Patri, I. Dei gratia, venerando Elnonensis Monasterij Abbati, Fr. Philippus medicum id quod est. Non longe causa dissidet ab effectu, ubi & liberè voluntas imperat, & facultas obedienter obsequitur, quod votum postulantis expectat. Ad obsequium vestrum, me & familiaris excitat fauor, quo personam vestram sincero complector affectu, & antiquæ dilectionis specialis gratia cohortatur, qua locum cui, Deo auctore præfidentis, non quidem singulariter, sed præ cæteris diligo & veneror. Vnum indè est quod charitati vestræ significo, quod ad vestrum sum paratus arbitrium, si quod mandatis facere disponitis; sed cum perfectioni resistat brumalis asperitas, vilius mihi videtur, & aptius, differre quod intenditis, donec hyemalis rigor adscendente Sole mitius intepescat, & dierum cursus productior sit, & commodior ad viandum. Ego autem iterum ubicunque expedire nouero, pro vobis ero sollicitus. Si autem vobis aliter placet, recurrente Nuntio, perdoceat quid facere me

velitis, paratus sum enim sequi vestræ deman-
dationis editum.

EPISTOLA XV.

Adeundem.

Antiquam renouat amicitiam, & obsequium addicit.

Torpentes affectus proposita mouet occasio, & iacentes erigit in profectum. Profectus est amicitia, manens inter amicos nexus indiuiduus animorum, & ministra iucunditatis, altrinsecus deuota memoria; deuotionis & obsequij vestri cura, Personam vestram vni cordi meo, iugis aspectus & status vester, semper contubernalis meus est, & incola pectoris mei. Occasione igitur sumpta per præsentiam Latoris præsentium, scribere dignum duxi charitati vestræ, ut & continentia nostra vobis innotesceret, & si quid esset apud nos quod pro vobis nostrâ operâ indigeret, transmissa relationis pateret indicio. Nos enim corde bono, & animo dolenti, sicut decet & dignum est, ad obsequium vestrum parati sumus, & promptum voluntati vestræ spondemus officium. Dominum Priorem sanctumque conuentum ore vestro & spiritu nostro salutamus.

EPISTOLA XVI.

Ad Thomam Cantuariensem Archiepiscopum. (a)

Commendat illi communem illorum Amicum, ob labores eximios pro ipso exantlatos.

R Euerendo in Christo Patri & Domino, Thomæ, Dei gratia, venerabili Cantuariensium Archiepiscopo, Fr. Philipus de electromosynâ,

Xx 2

mosynâ,

(a) *Author in Angliâ notus, propter monasteria à se ibidem fundata ut in præfatione vidimus.*